



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1602.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

Gallia Delphinus Ludovicus 27 ejusdem mensis, cui recens nato pater Henricus IV. capulum gladii inseruit dexteræ, precatus, ut eo ad Dei gloriam & Ecclesiæ utilitatem uteretur.

Carolus Dux Sudermanniæ patruus Sigismundi Regis Poloniæ & Sueciæ à statibus regni Suecici in Regem eligitur, perfidus à perfidis, hæreticus ab hæreticis.

In Anglia Robertus Comes Essexius Reginae Elisabethæ gratiâ excidit, & conjunctionis factus reus, sub ferro carnificis vitam ponit;

Impostor quidam Regem Sebastianum dudum in Africa à barbaris cæsum se esse mentitus, turbat Lusitaniam, & in varias factiones optimates distrahit.

Eodem anno ineunte Julio obsidione cingit Ostendam urbem Flandriæ fœderatæ maritimam Albertus Archi-Dux, sed non nisi post triennium expugnandam.

ANNUS 1602.

Romæ damnatur opinio quorundam Theologorum, qui putabant pœnitentem absentem per litteras peccata sua confessum absolvi posse; Ibidem controversia

ſia de auxiliis Divinæ gratiæ pridem exorta inter PP. Societatis Jeſu, & PP. Dominicanos, magno utrinq; animorum & ingeniorum ardore hoc anno agitatur coram Pontifice & Cardinalibus.

In Æthiopia multum promotæ res Catholica à P. Paëz Soc. Jeſu; In aula Imperatoris, cum deficeret pulpitum, juſſus eſt ex throno verba facere, ſedente interim in ſcabello humili, & magna attentione audiente dicentem ipſo Imperatore.

In Belgio Oſtendæ obſidio magna utriuſque partis contentione protrahitur; Mauritius Batavorum Archi-Strategus Graviamente Septembri deditione accipit.

Alba Regalis in Ungaria Præſidiariorum ignaviâ iterum amittitur; Buda à Chriſtiano exercitu fruſtra tentatur; Expugnatur tamen Pæſtum Budæ oppoſitum.

In Tranſylvania Georgius Baſta Cæſaris ſupremus Dux rem feliciter gerit contra rebelles,

In Gallia fit ludus fortunæ Carolus Gonzaldus, Dux Brionius, Par & Mareſchallus Franciæ, & publicâ morte inter manus carnificis perduellionem luit; Edictum quoq; in duella promulgatur, quibus intra paucos

4

Eventus memorabiles

mensēs quatuor virorum nobilium millia
cæsa esse ferebantur.

Annus 1603.

IN Hispania fatis decedit Maria Caroli V.
filia, Philippi II. Regis Hispaniæ soror,
Maximiliani II. Imperatoris Coniunx, Ru-
dolphi II. & Matthiæ Imperatorum mater,
anno ætatis 75. meritis tamen quàm annis
gravior.

Huic ætate propè par sed dissimilis vitâ
extinguitur anno eodem Elisabetha Regina
Angliæ, ex mœrore, ut creditum, quod se à
suis despectam videret, annis alioquin satu-
ra, & sanguine Sacerdotum, quibus aditum
in Angliam frustra prohibere conata erat ;
Elisabethæ succedit Rex Jacobus Scotiæ ;
ejus nominis sextus, Angliæ primus, Paren-
tis Catholici, & matris etiam Martyris [Ma-
riæ Stuartæ] filius hæreticus. A Ministris
Calvinianis in Conventu Londini celebra-
to primatus Ecclesiæ Regi confirmatur.

In Ungaria exercitus Cæsaris Duce Col-
lonitio Turcas prælioprofligat, & Hatua-
num recipit ; In Transylvania Rebellium
caput, Moyse, natione Siculus, à Basta &
Radulio Walachiæ Regulo rursus supera-
tur,